

DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM BAPTISMI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis sacramentis in speciali. Et primo, de baptismo. Secundo, de confirmatione. Tertio, de Eucharistia. Quarto, de pœnitentia. Quinto, de extrema unctione. Sexto, de Ordine. Septimo, de matrimonio.

Circa primum occurrit duplex consideratio.

Prima, de ipso baptismo. Secunda, de præparatoriis ad baptismum.

Circa primum quatuor considerata occurrunt: Primo, de his, quæ pertinent ad sacramentum baptismi. Secundo, de ministro hujus sacramenti. Tertio, de recipientibus hoc sacramentum. Quarto, de effectu hujus sacramenti.

Circa primum quærentur duodecim.

1. Quid sit baptismus, utrum scilicet sit ablutio.
2. De institutione hujus sacramenti.
3. Utrum aqua sit propria materia hujus sacramenti.
4. Utrum requiratur aqua simplex.
5. Utrum hæc sit conveniens forma hujus sacramenti: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
6. Utrum sub hac forma possit aliquis baptizari: Ego te baptizo in nomine Christi.
7. Utrum immersio sit de necessitate baptismi.
8. Utrum requiratur trina immersio.
9. Utrum baptismus possit iterari.
10. De ritu baptismi.
11. De distinctione baptismatum.
12. De comparatione baptismatum.

Hæc est secunda pars principalis hujus materiæ, in qua, postquam D. Thomas ea tradidit, quæ omnibus sacramentis communia sunt, de primo sacramentorum omnium, videlicet baptismo, disputat. Quam materiam prosequitur ab hac quæstione usque ad 73,

interponens in 70 quæst. tractatum de circumcissione, quæ figura quædam baptismi fuit, et in lege veteri vicem illius habuit. Nos vero inchoatam methodum prosequendo, eadem fere capita de baptismo disputabimus, quæ de sacramentis in genere; atque ita curabimus D. Thomæ textum exponere, ut ab instituto ordine non recedamus. In hac igitur quæst. 66, simul agit D. Thomas de essentia, et institutione baptismi, quia vix potest unum sine altero explicari.

ARTICULUS I.

Utrum baptismus sit ipsa ablutio (4, d. 3, art. 1, et 4 cont., c. 60).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio enim corporalis transit; baptismus autem permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio, sed potius regeneratio et sigillum, et custodia, et illuminatio, ut Dam. dicit (lib. 4, c. 10, circa med.).

2. Præterea, Hug. de S. Victor. dicit (lib. 2 de Sac., in part. 6, c. 2, in princ.), quod baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Aqua autem non est ipsa ablutio, sed ablutio est quidam usus aquæ: ergo, etc.

3. Præterea, Augustinus dicit (tract. 80 in Joan., post med., tom. 9): Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Elementum autem est ipsa aqua in sacramento baptismi; ergo baptismus est ipsa aqua, non autem ablutio.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 34: Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus? Videtur ergo, quod baptismus sit ipsa ablutio sive lavatio.

Respondeo dicendum, quod in sacramento

baptismi est tria considerare: aliquid scilicet quod est sacramentum tantum, aliquid autem quod est res et sacramentum, aliquid vero quod est res tantum. Sacramentum tantum, est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet est signum interioris effectus; hoc enim pertinet ad rationem sacramenti. Exterius autem suppositum sensui est et ipsa aqua, et ejus usus, qui est ablutio. Quidam ergo existimaverunt, quod ipsa aqua sit sacramentum, quod quidem sonare videntur verba Hug. de S. Victor. (posita in arg. 2, et loco ibi citato). Nam ipse in communi definitione sacramenti dicit, quod est materiale elementum, et in definitione baptismi dicit, quod est aqua. Sed hoc non videtur esse verum. Cum enim sacramenta novæ legis sanctificationem quandam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subjectum. Et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio. Et ideo Magister dicit (lib. 4, dist. 3, in princ.), quod baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum. Res autem et sacramentum, est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem abluionem, et est signum sacramentale interioris justificationis; quæ est res tantum hujus sacramenti, scilicet significata et non significans.

Ad 1 ergo dicendum, quod id quod est sacramentum tantum, in baptismo, transit; permanet autem et id quod est sacramentum et res, scilicet character, et id quod est res tantum, scilicet interior justificatio; sed character permanet indelebiter, ut supra dictum est (q. 63, art. 5); justificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damascen. autem (loco citato in arg.), baptismum definivit, non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum, sed quantum ad id, quod est interius. Unde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet, sigillum et custodiam, in quantum ipse character (qui sigillum dicitur), quantum est de se, custodit animam in bono. Duo etiam posuit pertinentia ad ultimam rem sacramenti, scilicet regenerationem (quæ ad hoc pertinet, quod per baptismum homo inchoat novam vitam justitiæ), et illuminationem, quæ pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spiritualem vitam accipit,

secundum illud Abac. 2: Justus ex fide vivit. Baptismus autem est quædam fidei protestatio; unde dicitur fidei sacramentum. Et similiter Dionys. baptismum definivit per ordinem ad alia sacramenta, dicens (cap. 2 Eccl. Hier., non procul a princ.), quod est quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad eorum susceptivam opportunitatem formans nostros animales habitus. Et iterum (eodem loco nunc dicto), in ordine ad cælestem gloriam (quæ est ultimus finis sacramentorum), cum subdit: Ad supercælestis quietis anagogen, nostrum iter faciens. Et iterum, quantum ad principium spiritualis vitæ, per hoc quod subdit (eod. c. prædicto, parum a princ.): Sacræ et divinissimæ nostræ regenerationis traditio.

Ad 2, dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.), opinionem Hug. de S. Victor. in hac parte sequi non oportet. Potest tamen verificari, ut baptismus dicatur esse aqua, quia aqua est materiale baptismi principium, et sic erit prædicatio per causam.

Ad 3, dicendum, quod accedente verbo ad elementum fit sacramentum, non quidem in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per usum abluionis. Et hoc etiam signat verbum, quod accedit ad elementum, cum dicitur: Ego te baptizo, etc.

COMMENTARIUS.

1. Intentio D. Thomæ in hoc articulo est, tradere quandam descriptionem, seu definitionem quid nominis, baptismi; hæc enim in initio cujuscumque disputationis necessaria est. Hac vero occasione distinguit tria, quæ supra diximus reperiri in quolibet sacramento, scilicet, sacramentum tantum, rem tantum, rem et sacramentum simul; et duo quidem ultima ad præsentem quæstionem nihil referunt, quia in hoc sacramento res tantum est gratia baptismalis, res autem et sacramentum est character; constat autem hæc non significari baptismi nomine. Significat ergo hæc vox id, quod in hoc sacramento est signum sensibile, externum, efficax gratiæ, quam significat.

2. Quid sit baptismus? — Hoc vero signum, quod baptismi nomine significatur, ait D. Thomas esse, exteriorem corporis abluionem factam sub præscripta forma verborum. Quam descriptionem sumpsit ex Mag., in 4, dist. 3, in qua existimat D. Thomas differre Magistrum ab Hugone de S. Vict., lib. 2 de

Sacram., art. 6, cap. 2, ubi non dicit, baptismum esse ablutionem, sed aquam; existimo tamen in re non fuisse diversitatem, sed solum in modo loquendi, qui prior est et rigorosior apud Magistrum et Scholasticos. Non dubito tamen, quin Hugo intellexerit, aquam, quamdiu ad usum non applicatur, non esse sacramentum, nam et res per se satis clara est, et ex verbis ejus satis aperte colligitur, dum ait: *Aqua enim sola elementum esse potest, sacramentum esse non potest, donec accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Constat autem, verbum non accedere ad elementum, nisi quatenus ad usum applicatur ei qui suscipit sacramentum, in quo sacramentum perficitur, non in ipso elemento, ut in solutione ad tertium D. Thom. exponit August. Idem ergo est sensus Hugonis, quamvis minus proprie locutus fuerit, non distinguendo inter aquam et ablutionem.

3. *Dubium.* — *Prima responsio.* — *Rejicitur.* — Dubitare potest aliquis circa descriptionem datam, quia baptismus et ablutio, aut sunt duæ voces synonymæ, aut comparantur sicut totum, et pars materialis ejus. In neutro autem sensu potest convenienter baptismus dici ablutio. Explicatur antecedens, nam hæc duo verba, baptizo et abluo, synonyma sunt; tantum differunt, quia abluo, est Latinum, baptizo vero Græcum, quod Ecclesia Latina retinuit, propter antiquitatem; sicut ergo ablutio significat actionem abluendi, ita baptismus significare videtur actionem baptizandi, ac si diceretur baptizatio; sed in Græco non est usus hujus ultimæ vocis, sed loco illius est vox baptismus. In hac ergo significatione illæ duæ voces sunt synonymæ. Non ergo potest una per alteram definiri, alioquin idem per idem definiretur. At vero ex hac primæva significatione vocis baptismus, intelligi potest ea vox translata ad significandum totum sacramentum integrum, quod ad regenerationem fidelium est a Christo Domino institutum; et in hac significatione ablutio est pars baptismi, quia totum sacramentum constat materia et forma; ablutio vero, ut infra dicemus, est materia hujus sacramenti. Neque hæc vox est ad aliam significationem translata; ergo neque juxta has significationes vocum, potest baptismus dici ablutio, quia pars materialis non potest de toto composito prædicari. Quo argumento convictus Marsil. in 4, quæst. 3, art. 1, conclusion. 4, locutionem illam negat, et Scot. etiam in 4, d. 3, q. 4,

censet, esse negandam, nisi negetur, verba formæ esse partem hujus sacramenti, et dicitur, solam ablutionem esse totum sacramentum, quod etiam censet esse probabile. Atque hunc posteriorem respondendi modum sequitur ibi Soto, art. 1, ad 3, negat enim formam esse partem hujus sacramenti, aut relationem signi aliqua ex parte in ea fundari. Sed hanc sententiam nos late improbavimus supra generatim ostendentes, in omnibus sacramentis, præsertim in his quæ in usu consistunt, materiam et formam esse partes essentielles componentes sacramentum. Quapropter idem est sine dubio in hoc sacramento dicendum; habet enim suam materiam et formam, scilicet ablutionem et verba, quibus essentialiter constat, ut partibus; quæ, licet inter se collatæ habeant proportionem prædictam materiæ et formæ, tamen comparatæ ad relationem signi, totum illud compositum est subjectum ejus, et ita comparatur ad illam quasi materiale ad formale. In quo, tanto habent verba potiores partes, quanto expressius significant. Quæ omnia satis constant ex dictis de sacramentis in genere.

4. *Secunda responsio.* — *Refellitur.* — *Solutio auctoris.* — Quocirca alii respondent, res artificiales, quæ constant materia et forma, interdum ita definiri, ut pars materialis ponatur loco generis, formalis vero loco differentiæ; ut si dicas, statuam esse lignum talis figuræ seu formæ, vel sicut Aristoteles dixit, nomen esse vocem significativam, etc. Sic ergo aiunt, baptismum describi per ablutionem, tanquam per partem materiale. Sed quamvis illa doctrina vera sit, non tamen videtur recte applicari. Quia, quando res artificialis illo modo definitur, non pars materiæ, sed tota materia, quæ substat propriæ formæ artificiali, constituenda est loco generis, ut possit de re artificiali prædicari, ut non dicitur domus esse fundamentum, aut lignum, sed dicitur esse hæc omnia sub tali figura. In sacramento autem propria forma, quasi artificialis, est significatio, cujus integra materia est compositum ex ablutione et verbis, ut dictum est. Atque hoc sensu ablutio est pars materiæ; ergo in nullo sensu potest vere dici, quod baptismus sit ablutio. Respondetur nihilominus, verum quidem esse, in rigore et proprietate sermonis, et seclusa figura, quæ per synecochen pars sumitur pro toto, baptismum non posse dici ablutionem, ut argumentum probat, sicut non potest dici, quod baptismus sit hæc verba: *Ego te baptizo,*

quia sicut non est una pars, ita neque altera, sed compositum ex utraque. Nec D. Thomas aut Magister aliter sunt locuti; non enim dicunt, baptismum simpliciter esse ablutionem, sed esse ablutionem sub præscripta forma verborum, quibus verbis significare voluerunt, baptismum esse quid constitutum ex ablutione et verbis.

5. *Explicatur baptismi descriptio.* — *Definitio baptismi per proprium genus et differentiam.* — Ex quibus intelligitur, prædictam descriptionem datam esse modo physico (ut ita dicam) per partes physicas, quales esse possunt in baptismo. Nec refert, quod hæc partes comparatæ ad significationem sint veluti materia integra ejus. Quia explicato integro subjecto, et reali fundamento significationis, virtute subintelligitur relatio signi in eo fundata. Præsertim, cum ad nominis descriptionem necesse non sit omnia distincte explicari. Unde, sicut baptismus supponit pro illo composito ex ablutione et verbis, ita potest commode per illas duas partes definiri. Si autem velimus per proprium genus et differentiam baptismum definire, breviter dici potest, esse sacramentum regenerationis, seu sacramentum ad spiritualem regenerationem fidelium institutum. Nam, quia sacramentum est signum, per id, quod significat, necessario definiendum est, et quia sacramentum novæ legis id significat, quod efficit, ideo propria differentia sacramenti per proprium ejus effectum explicanda est. Ponitur ergo sacramentum loco generis, regeneratio vero ponitur loco differentiæ, seu potius termini in ordine ad quem baptismus habet suam propriam differentiam, quatenus spiritualem regenerationem efficit et significat. Unde intelligitur, explicationem hujus definitionis ex cognitione talis effectus pendere, et fortasse D. Thomas ideo prætermisit hanc definitionem. Quia de hoc effectu usque ad quæst. 69, non erat disputaturus. Possumus denique utramque definitionem, cum Catechismo Pii V, breviter comprehendere, dicentes, baptismum esse sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ, juxta verbum Christi, Joan. 3: *Nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto;* et Paul., ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ;* et ad Tit. 3: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*

6. *Damascenus vocat baptismum primo regenerationem.* — *Secundo signaculum seu sigillum.* — *Tertio custodiam seu præsidium.*

— *Quarto illuminationem.* — In solutione ad primum explicat D. Thomas quatuor appellationes, seu nomina, quæ baptismum tribuit Damasc., lib. 4 de Fide, c. 40. Primo enim vocat illum, regenerationem, quæ vox sumpta est ex effectu, jamque est a nobis explicata. Quamvis enim quælibet hominis justificatio possit dici spiritualis ejus regeneratio, quia per illam novum ac divinum esse acquirit, quomodo intelligi potest illud 1 Petri 1: *Regeneravit nos in spem vivam;* et illud ad Galat. 4: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis;* nihilominus hæc vox et ratio regenerationis singulariter baptismum convenit, quia per illum fit sanctificatio simpliciter et absolute prima, et funditus destruitur peccatum, et ex membro Adæ fit homo membrum Christi et filius Dei, ut Concil. Trident. dixit, sess. 6. Secundum nomen, quo Damascenus baptismum appellat, est signaculum, seu (ut D. Thomas citat) sigillum. Quod nomen censet desumptum ex effectu characteris, quo anima consignatur. Et quamvis hac ratione videatur hæc vox communis cæteris sacramentis imprimendum characterem, tamen specialiter convenit baptismum, quia per illum imprimitur signum indelebile, quo designantur membra Christi, et Ecclesiæ ejus, ut intrent in ovile ejus, et frui possent pascuis ejus. Tertium nomen, quod D. Thomas refert, est custodia, seu (ut alia versio habet) præsidium, quod nomen censet etiam D. Thomas sumptum esse ex effectu characteris; quia ille (inquit), quantum est de se, custodit animam in bono. Hoc autem intelligendum censeo, ratione alicujus specialis auxilii, quod ratione baptismi datur omnibus, qui characterem ejus sunt insigniti. Quartum nomen est illuminatio, quod sumptum videtur ex Paulo, ad Heb. 6 et 10, ubi baptizatos illuminatos vocat, quia baptismus est sacramentum fidei, quo illuminantur fideles, ex quo etiam Dionys., c. 2 de Cælesti Hier., baptismum illuminationem vocat, quæ vox frequens est apud antiquos Patres, præsertim Græcos, ut patet ex Clem. Alex., lib. Pædagog., c. 7, ubi sic scribit: *Tincti illuminamur; illuminati in filios adoptamur; adoptati perficimur; perfecti immortales reddimur.* Unde concludit, baptismum esse gratiam, illuminationem, perfectionem et lavacrum. Quæ verba exacte declarat; et similia multa habet Greg. Naz., orat. 40 in sanctum baptismum; et Cyril. Hierosol., in Cateches. 4, 6, 9, quas illuminatorum conscripsit, quia spe-

cialiter pro his, qui ad baptismum præparabantur, eas edidit. Optime Chrys., hom. ad Neophytos, et alia hom. ad Baptizandos; Greg. Nyssen., lib. de Sancto baptismo; D. Basil., in Exhor. ad baptizandum, ubi inter alia baptismum vocat tesseram militum Christi, amictum splendens, quo signatur super nos lumen vultus Domini, et similia; lib. vero 3 cont. Eunom., circ. fin., vocat baptismum sigillum fidei, quia in eo fit prima ac solemnitas fidei professio; multaque similia habet Tertul., lib. de Baptismo, et alii Patres, apud quos frequentia sunt elogia, quibus baptismus appellatur donum, seu gratia, quia in eo fit liberalissima remissio, primaque gratiæ infusio absque ullo præcedenti merito. Dicitur etiam unctio, vel ab externa cæremonia, quæ in solenni baptismo adjungitur, ut infra dicemus, vel ab interiori spiritali unctio, qua effici-mur participes regni, ac sacerdotii Christi. Dicitur etiam principium et janua sacramentorum, præsertim apud Dionys., c. 2 de Eccles. Hier., quia per illum fit homo capax ad cætera sacramenta Ecclesiæ recipienda. Atque in hunc modum explicanda sunt alia nomina baptismi, quæ ex effectibus ejus desumuntur, de quibus suo loco dicturi sumus.

ARTICULUS II

Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem (4, d. 3, art. 5, et dist. 8, quæst. 1, art. 3, quæst. 3, ad 2).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod baptismus fuerit institutus post Christi passionem. Causa enim præcedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis novæ legis. Ergo passio Christi præcedit institutionem sacramentorum novæ legis, et præcipue institutionem baptismi; cum Apostolus dicat ad Romanos 6: Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, etc.

2. Præterea, sacramenta novæ legis efficaciam habent ex mandato Christi. Sed Christus mandatum baptizandi dedit discipulis post passionem et resurrectionem suam, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc., ut habetur Matth. ult. Ergo videtur, quod post passionem Christi baptismus fuerit institutus.

3. Præterea, baptismus est sacramentum necessitatis, ut supra dictum est (q. præced.), et ita videtur, quod ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarentur ad bap-

tim. Sed ante passionem Christi homines non obligabantur ad baptismum, quia adhuc circumcisio suam virtutem habebat, in cujus locum successit baptismus; ergo videtur, quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi.

Sed contra est, quod Augustinus dicit (in serm. 1 Dominicæ infra oct. Epiph., a med., et est in ord. 36, tom. 10): Ex quo Christus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluuntur aqua. Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo videtur, quod baptismus ante Christi passionem fuerit institutus.

Respondetur dicendum quod, sicut dictum est supra (quæst. 62, art. 1), sacramenta ex sui institutione habent, quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institutum, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accipit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum.

Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novæ legis; tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni, et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato et incipit novam justitiæ vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indicaretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni ejus.

Ad 1 ergo dicendum, quod etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione, in quantum eam præfigurabat. Aliter tamen quam sacramenta veteris legis; nam illa erant figuræ tantum; baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat justificandi, per cujus virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit.

Ad 2, dicendum quod homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub præcepto, sed voluit ad ejus exercitium homines assuefieri, et præcipue in populo Judæorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut Augustinus dicit contra Faustum (lib. 4, c. 2, circa med. præcipue, tom. 6). Post passionem vero et resurrectionem, non solum Judæis, sed etiam Gentilibus sub præcepto necessitatem baptismi imposuit dicens: Euntes docete omnes gentes.

Ad 3, dicendum, quod sacramenta non sunt obligatoria, nisi quando sub præcepto ponuntur. Quod quidem non fuit ante passionem, ut dictum est (in cor. art.). Quod enim Dominus ante passionem Nicodemo dixit, Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, magis videtur ad futurum respicere, quam ad præsens tempus.

COMMENTARIUS.

Distinguit D. Thomas in baptismo duo: unum est efficaciam sanctificandi et significandi, aliud est præceptum seu necessitas sumendi illum. Quoad primum, ait D. Thomas institutum fuisse baptismum ante passionem, quando Christus baptizatus est. Quoad secundum vero ait, Christum tradidisse præceptum baptismi, postquam a mortuis resurrexit. Quæ doctrina, quoad utramque partem indiget diligentiori examinatione ac discussione, quod præstabitur disputatione sequenti.

DISPUTATIO XIX.

DE INSTITUTIONE BAPTISMI.

De nominibus baptismi, ejusque definitione seu descriptione saltem quoad nominis declarationem satis dictum est in commentario articuli primi, et ideo consequenter sequitur, ut disputemus de quæstione, an sit baptismus, quod pendet ex institutione, de qua simul an facta sit, et a quo et quando facta sit, explicandum est, quæ omnia duabus sectionibus breviter comprehendemus, juxta duas assertiones a D. Thoma positas.

SECTIO I.

Utrum baptismus fuerit a Christo Domino ante mortem suam institutus.

1. Baptismus est unum ex sacramentis novæ legis. — Primum omnium statuendum est, baptismum esse unum e sacramentis novæ legis. Hoc est certum de fide, ut patet ex dictis supra in genere de numero sacramentorum novæ legis, et explicatur ex re ipsa et usu Ecclesiæ, adjuncta Scriptura. Constat enim esse in usu Ecclesiæ quandam sensibilem cæremoniam, quæ fit per abluionem aquæ et invocationem Trinitatis, per quam initiantur fideles, ut fiant Ecclesiæ membra.

Constat item ex Scriptura, hanc cæremoniam habere promissionem gratiæ, imo et esse necessariam ad justitiam et vitam æternam consequendam, juxta illud Joan., c. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; et illud Matth. ult.: Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; et ad Eph., cap. 5: Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ. Est ergo hæc cæremonia verum sacramentum novæ legis, nam est sensibilis, et vim habet sanctificandi, et consequenter significandi gratiam, quam præstat. Hanc autem cæremoniam, seu hoc sacramentum (ut supra dictum est), nomine baptismi significamus; nam licet in veteri lege essent variæ abluiones cæremoniales, quæ baptismata appellantur ad Hebr. 9, tamen in nova lege unum tantum est baptisma, quod est unum ex sacramentis ejus, ut in Concil. Florent. et Trident. definitur.

2. Baptismus a Christo institutus. — Secundo hinc constat, baptismum esse a Christo Domino institutum; quod patet, tum ex supra dictis in genere de institutione sacramentorum novæ legis, quæ omnia ostendimus, fuisse immediate a Christo instituta; tum etiam ex testimoniis paulo ante citatis, in quibus habemus expressum præceptum et promissionem ipsius Christi.

3. Quando? — Difficultas ergo superest de tempore hujus institutionis, in qua re est prima sententia Alex. Alens., 4 p., quæst. 12, memb. 3, art. 1, ubi inter alias distinctiones, quas satis obscure proponit, in summa dicit, materialiter quidem instituisse Christum baptismum in Jordane, quando baptizatus fuit, non vero formaliter, usque ad resurrectionem. Cujus distinctionis sensus esse videtur, materiam hujus sacramenti esse designatam et quasi consecratam, formam vero non fuisse traditam a Christo, donec Apostolus dicit: Baptizantes eos in nomine Patris, etc. Unde fit, ante Christi passionem nec baptismum Christi fuisse institutum, quoad efficaciam et virtutem, neque fuisse ministratum, quia neutrum horum fieri potest sine forma, et hanc sententiam indicat D. Thomas infra, quæst. 73, art. 5, ad 4, et in eam inclinat Cano, lib. 8 de Locis, c. 5, dum negat, Apostolos ante Christi passionem baptizasse in nomine Trinitatis, quando baptizabant, Joan. 3 et 4. Fundamentum hujus sententiæ esse potest, quia ante Christi resurrectionem